

REM,,

S PARTES DISTRIBUTA.


versi mox fiebant pessimi.
missus sedibus caelestium
nctus et praceptor optimus,
vidistis, fortunati senes,
osequimur magno desiderio,
orunt omnes pro virtutibus,
Bosco, quem novistis nomine.
nit, suis sanctis alloquiis
flectit et convertit illico:
entes, agni sunt mitissimi.
s adduxit ad Castrum Regium,
pinigi dicitur praestantia;
lus absque satellitibus,
i semper in pravum pellere.
o, qui signandus candido,
nostro sed futuris saeculis.
fando creditur in posterum?
vidimus sed nostris oculis!
tutem sancta quam relligio!
us narrat quae per ordinem
ommendari vult indulgentiae.
n grege nunc commendo plurimum,
a quae dicatur fabula.
annes! » dicimus per saecula.
unum verbum vobis addere;
d Pater et tentavit saeculum.
nt pueris fictis, fallacibus,
ctatis, nunc sunt alendis bonae
cendis litteris et artibus,
iri consilio et nomine.
unt amplius nervis et ferulis,
omnes nitebantur veteres.
ropitius Deus custodiat
sospitet tollat infortunio,
faciat ad portum reduces!
proximum numerum).

I. B. F.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Ann. V.

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Cental), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a)* iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b)* computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2%, si mensium duodecim; *c)* parsimoniae foventiae sub specie, annuo fructu 3.60%, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a)* prescriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b)* mutuationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c)* in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d)* litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e)* exteris numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f)* fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservardis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

A
LA

Premium annuae
march. 10;
FORNARI d

De Ioann

Quid non
multates atq
quem nos tan
virorum cons
non sine mag
laurea hones
tium studia
virum sanctu
qui eius elo
medio toller
summo hono
Chrysostomu
vita functus
gnus habitus

Quae facta
illustrentur
pore et pro
hominum, tri
iniquitates, in
Primum verco
tiones, quae co
sia graeca su
consideration
ex vita Ioann
tium. Theophi
in Alexandri

e in propriis aedibus
S. Marcello)

EXTERAS CIVITATES:

Arezzo, Arezzano, Bagni di Montecatini, Gypto, Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, Fiviano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in ANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Mont-Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona ca), Velletri, Viareggio, Viterbo.

IONES ET NEGOTIA.

omine accipit: a) iuxta quotidianas ta facultate quotidie exigendi usque ; dierum quatuor, lib. 50.000; pro computationibus pariter quotidianis, si sum sex; 4 1/2 %, si mensium duo-3.60 %, cum facultate quotidie defe-300. De maiore vero summa man- septem usque ad lib. 5000; ad dies

ptiones compensat duarum persona- tres solvendas; idque pro omnibus tium ad formam, iuxta italicam legem vicia requirentibus subvenit; c) in sub praesidio fundorum publicorum, ivatae; d) litteras emitit ex credito maxima aguntur; e) exteris num- res in custodiam accipit, pro iisque it. Iunariae sunt.

AE,, Sociis

latine scripta venum dantur,

uli prandium, Milesiae a facile agendis. – Singulæ

novi flores. – Si tegu- aureoque titulo, lib. 2,25.

omam, Actiones drama-

e, Milesia fabula. – Lib. 1.

tinis. – Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

De Ioannis Chrysostomi fama apud Graecos

Quid non mortalia pectora cogunt similitates atque odia! Chrysostomus ille, quem nos tam libenti animo, tali ac tanta virorum consensione doctorem salutamus, non sine magnis difficultatibus doctorum laurea honestatus est. Necesse fuit ut partium studia quiescerent, et ii qui contra virum sanctum bellum inierunt, vel ii qui eius eloquentia obiurgati fuerunt e medio tollerentur: post obitum tantum summo honore homines afficiuntur; atque Chrysostomus noster non aliter quam vita functus eo honore, qui par erat, dignus habitus est.

Quae facta ut melius nostra oratione illustrerentur oportet quaedam, pro tempore et pro re, condiciones ac fortunas hominum, tristitias, acerbitates, invidias, iniurias breviter recolamus. Primum vero, ea convicia atque accusationes, quae contra Ioannem in ipsa ecclesia graeca sunt illata, prorsus nulla habita consideratione operum atque verborum, ex vita Ioannis, tali ac tanta copia manantium. Theophilus eiusque nepos S. Cyrillus in Alexandrina, de Ioanne acerbe digla-

diati sunt, asseclas secum trahentes sive in Constantinopolitana sive in Antiochena Ecclesia.

Temporum rationem sequentes incidimus in Palladium, qui primus historica fide vitam Ioannis illustravit anno quadragesimo octavo, uno tantum post eius obitum. Palladius vero capitulo XII verba refert Theodori diaconi Romanae ecclesiae, qui affirmat se non tantum fama, sed scriptis quoque Ioannem cognitum habuisse eiusque tractatus et homilias perlegisse. Iterum latinus quidam Anianus de Celeda interpretationem latinam *Commentarium in Matthaeum* edidit atque in prooëmio ita locutus est: «Certe quod ab aliis quoque pluribus audire potuisti, omnes iam ecclesiasticae graecorum bibliothecae, post tam varias veterum scriptorum splendidasque divitias, post tam insignium magistrorum tam clara lumina, huius (Chrysostomi) praecipue voluminibus ornantur».

Anno quadragesimo et quinquagesimo Isidorus Pelusiota in Agypto vita functus est; quarto *Epistolarum* libro¹ cuiusdam Heraclio ipse scribens, miratur quod Heraclius prorsus ignoret tanti hominis scripta eumque honestat nomine πάνοφον. Ipsa verba haec sunt: «Vehementer miror

¹ Migne, P. G., 224.

de tua ignorantia, qui usque adhuc nunquam loqui audivisti de viro illo eiusque scriptis, de viro cuius nomen ac sapientia circumvolat orbem. Quis vero eius scriptis non rapitur; quis Deo providenti gratias non aget se in mundum post Ioannem venisse, ita ut hanc divinam lyram personantem possit audire, qua Orpheo potior non bestias, sed homines bestiarum moribus institutos delectet? ».

Nobile testimonium de Ioanne accepimus ab illo sanctissimo viro Nilo, qui olim Praefectus Constantinopolitanus, postea Sinae Montis abbas renuntiatus est. Ipse enim in *Epistola ad Valerium*¹ ait: « Deus mundo hominem concessit maiorem Philemone et Theophilo, id est Ioannem Constantinopolitanum episcopum, aureum flumen, cuius laudes a multis celebrantur ».

Sed iam tempus opportunum videtur quaedam enucleate examinandi, videlicet, modum quo nomen Chrysostomus in graeca Ecclesia invaluit. Is ad quinque capita est revocandus. Quaestio prima erit qua ratione Alexandrina Ecclesia beati Ioannis nomini iam augescenti sese opposuit, eiusdem auctoritatem quoque denegando. Secundo loco quaerendum quomodo in Antiochena Ecclesia Chrysostomi auctoritas in dies cresceret, nec non qua benevolentia eum prosecutus sit. Tertio loco erunt recolendae eae luctae, quibus a saeculo IV usque ad IX Chrysostomi auctoritas radices altius figere potuit. Quarto loco nonnulla erunt breviter attingenda circa ea quae in re critica vel philologica ad Chrysostomum pertinent; tandem quae Chrysostomi auctoritas fuerit in extremis Bysantinis temporibus. Haec omnia alias singillatim expediemus.

ALEXANDER AURELJ,
in Pont. Sem. Rom. professor.

¹ Migne, P. G., ep. 183.

De Cinematographo

Inter pulcherrima atque argutissima Edizioni inventa, quae eius nomen late per orbem terrarum laudibus dignissimum reddiderunt, *Cinematographum* ponere haud dubitaverim. E parvula enim re, quot innumerae novorum portentorum series naturaliter sunt profectae! Et praelaris istis inventis rapidissime honestatas vides illustres civitates, oppida, ignotisque pagos, ubi mira animorum voluptate huiusmodi scenis plurimi adsistunt. Et quam frequentissimi sunt isti spectatorum congressus, quamque clamorosi atque iucundi; et omnes, supra quamquod cuique credibile est, etiam acerrimi iudicii viris, undeaque probatissimi!

Novissimum hoc theatrum, omniumque commodissimum, in quo multae artes simul coniurant amice, heri adhuc ignotum, ambabus manibus ad caelum adtollitur, longe lateque pervadit, et « omne tulisse facile punctum » omnes una voce profitentur.

Nec sane citra fidem! Hic sine labore ob oculos quaeque novissima sunt obiecta: urbes, civium conventus, exercitus et mille alia lepidissime ac rapidissime cernuntur! At brevi, quasi in praesens, praeter omnium opinionem, ita, ob pravum hominum ingenium, ad malum atque ad morum perniciem corruit, ut, hisce praesentibus temporibus, nihil sit aptius ad animorum corruptionem, nihilque, omnium iudicio, detestabilius!

Noster si Cicero adesset, qui olim ob perficatam Catilinae impudentiam, qui per coniurationem totius reipublicae ruinam meditatus in senatum venerat, indignatus exclamavit: « O tempora! O mores! »; quid non diceret, quibusque urentibus verbis saeculum corruptissimum incusaret! Multo peiora nos haec iudicare debemus, quibus, sanctissimis christiana sapientiae

praeceptis refertis, hoc latissimum improbitatis diluvium haud tollerabile esset, indignati, quod nefarii homines, istam mirabilem ingenii artem, quam ad mortalia solatium inventam amplissimis laudibus accepimus, omnia quaestui habentes, ita deturpaverint, ut *Cinematographi* inventionem omnino ad animorum exterminium converterint.

Namque ad haec corruptionis loca, non modo pullata plebs, improbis spiritibus saepe instincta, frequentissima, veluti amens, accedit; sed et matres familias, quas prudenter vocari adsuescimus, quibus est filiorum caste institutio commissa, patriaeque salus!...

Pudicitia res sacra est! Et *Alma Roma*, horrendum hoc facinus reprobans, elata voce monet: « Procul hinc, procul hinc, cives, abite! Atque vos, pueri, ab istis eripite flammis! ».

Itaque, si ordinem reapse instaurare volumus, si malorum impotentiam refrenare, omnes boni, viribus coniunctis, eo tendere debent, ut tantum scelus brevissime cessen. Et quemadmodum hoc turbulentissimo reipublicae tempore, quo hostis infensis animis in sata patriae arva proripuit, omnesque gravibus territat periculis, milites undique colliguntur, qui adversarios armis repellant, et multa fortiter ac strenue denuo gerant; et nobis, cum istis audacissimis patriae osoribus est pugnandum, qui insidiose perniciem civibus parant, qui, multis adversis populum studiis retardati, in patriam vel ultima quaeque moliuntur.

Roma antiqua, quum illud solemne Afrorum periculum repulsare vellet, hanc modo vocem ad suos protulit: *Hannibal ad portas!*

At inimici non tantum sunt *ad portas*, sed intra muros heriliter versantur, et alacriter maximum in modum animos civium mactant atque confodiunt. Et quod magis lamentabile est, nemo assurgit, qui

excidium impedit, quique patriae salutem quodammodo prospicere nitatur! Quin imo impudenter nonnulli rebus hisce pessimis indulgent.

Itaque ad hoc impium spectaculorum genus acervatim iuventus affluit, lascivientibus scenis gestiens; ad hoc puellae, totius expertes pudicitiae, quibus mox erat modestia suavissimus decor atque ornamentum; ad hoc, ipsae matres, quae, omnibus posthabitis religionis atque honestatis splendoribus, immodece currunt veluti ad castissima rerum inventa!

Parinius noster, generosa olim bili exardescens, in impudentissimum suae aetatis scriptorem dixit:

Dalla cui lubric' arte
Saggia matrona vergognando parte.

Quid diceret, si hoc probossum spectaculum frequentes adire videret ipsissimas matres, quae, comitantibus filiis, sine numero hilarantes, theatra stipent, ambabus manibus plaudentes adprobent?

* *

At peiora nos manent. Haec foeda ludorum genera, commodiora equidem sunt ad perversitatem calcaria, omniumque flagitorum, quae undique nos premunt, acrores stimuli. Ac propterea, si res praesentes nos terrant, futurae nequiores exitum portendunt. Ad rem peropportune facit, quod nuper diurna vulgo referebant. Ab hinc paucos dies raptus est in vincula infelix adolescens, qui tetterimum crimen patrarat. Iudicibus inquirentibus atque admirantibus effrons accusatus respondit:

« Haec omnia didici ad *Cinematographum*! Hoc unum mihi curae fuit, ut in crimine exequendo, ea adamussim perficerem, quae oculis usurpaveram». Quibus acceptis, prudens ille orator, cui rei defensio fuerat demandata, lacrimis obortis, fremebundus, sic in tot iuvenum corruptores invexit: « Hos ego, iudices, ait, hos theatrorum duces, vere flagitorum segetes, ad tribu-

nal ante vos rapi vellem, in hos inquirere, hosque imprimis criminum auctores gravioribus poenis multcare!».

Omnis nos merito puerorum damnum querimur, omnes domi forisque ob morum corruptelam ingemiscimus, sed pro matrum decore, paucae omnino adfuerunt, quae ad rerum publicarum moderatores appellarunt, ut aliquando frenum qualcumque sit, huic turpitudini ponerent. Ad ipsos oratores populares hae postulantes se se animose contulerunt, et magno cum vituperio acceperunt:

Iura silent, mutaeque iacent, sine vindice, leges.

Interea malum progreditur, undique bacchatur; et ipsa patriae viscera molestat, et omnia veneno suo contaminat atque corredit.

Quod olim de numeris musicis Cicero dixit, optime aptari dixeris huic Edisoni invento: « Assentior Platoni - ait - nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos; quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem. Namque et incitant languentes, et languefacit excitatos, et tum remittit animos, tum contrahit ».

**

Sed quod tandem huiuscemodi malis remedium praebebimus? Adhuc, verba, praetereaque nihil! Adest veneranda religio, quae suarum legum divinarum severitate e templis praedicat; adsunt et nonnulli patres familias, qui pro liberorum verecundia timescentes, legem implorant, ad coercendam ludorum impudentiam; adsunt denique et ipsi artium liberalium cultores, qui pro artibus tuendis validissime intercedunt. ... At populus, veluti agmine facto, diu noctuque, diebus festis atque profestis, artifices et beatores, ad hoc theatrum, ut plenissimo aquarum flumine, afflunt, et dulcis descendit

ab aure voluptas

Omnis ad incertos oculos et gaudia vana!

Apud veteres Romanos, quibus maxima fuit pudoris sollertia, ut ita rempublicam tuerentur, quidquid poëtae comici in vulgo edebant, lege cautum erat, ut censores diligentius audirent, et ob reverentiam ac rerum sanctitatem in templum convenirent. Et si quid minus casti forte notarent, solemini ritu, ne ageretur, vetabant. Erat Horatii tempestate laudandus *Metius Tarpa*, acerrimis moribus vir, qui, hac lege fretus, quidquid obscoeni subreperet, religiose intercedebat. Inde illud Horatii:

Quae nec in aede sonent certantia, iudice Tarpa!

Apud nos, foedissima quaedam libertas omnia perdit, omnia consumit, et ad ultimum pessum dabit.

Dolendum sane, quod ephemeredes, quae superbe sibi imperium usurpat in rebus publicis agendis moribusque ornandis, totis viribus, nec iam caute sed imprudenter, hanc corruptelam scriptis adiuvant, re foveant, consilioque promoveant!

Horresco referens. Ars Guttembergia, quae maxima quidem auctoritate pollet, nostris potissimum temporibus, veluti munieris sui expers, eo omnino contendit, ut huic impietati plus aequo indulget, in falsae speciem libertatis. Quod tremens admodum praedico, atque ob improbitatis magnitudinem, nimio pudore suffusus, detestor, altera ephemeredum pars, timidis verbis huiuscemodi theatra insimulat, atque cives vellet a malis retrahere; altera numerosior eodemque audentior, liberannis habenis, hanc insanam turpitudinis belluam amplissimis laudibus incitat, atque ad foedissima quaeque hortatur. Hi enim publice proclaimant, quod Horatius improbabat:

*O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos!*

Quid amplius de publicis moribus sperandum? Vana sunt nomina Fabricii et Furii ... Si virorum nomen, si scripta respicis, quidquid apud potentiores scripto-

res inest illustrius, tanti facinoris participes habetur; quo facto ipsis maior est malorum colluvies imputanda, ipsis lacrimabilis plebis corruptio et flagitiorum immensitas. Eo res iam iam pervenit, ut, quemadmodum Livius scripsit, vel omnis expers curae sit adfirmandum: « Ad haec tempora venimus, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus ».

**

Nos igitur, gravioribus rerum periculis, confertissimi atque stipati, libera voce, malum incusamus, atque ad pristinam dignitatem mores civium et iuuentutis potissimum revocamus. Quinimo mulieres christianas iubemus respicere exemplar ipsum mulierum veterum Romanarum, quae, in obsequium Veturiae virtutis, refracti hominis impudicitiam redarguentes, divae pudicitiae templum aedificarunt. Sic illarum vestigia relegentes, duces praegrediantur, et matribus dignissimum current, ut haec rerum turpissima schola aliquando claudatur.

Cesset luxus atque libido pereundi pendique omnia. « Pudicitia res sancta est », dixit Scipio noster, in Africam prefecturus, ut Italiam ab Hannibal's ignominia vindicaret. Omnia maxime pudicitia in tuto esse debet.

Nec equidem est illa pro nostris excusatio: « Sunt errores, quos aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura ».

Namque eo sapientia hominum, divinae religionis luminibus praesertim instructa, progreedi potest, ut errores propellere valeat; et universos ad salutis portum perducere possit. Hac enim ratione sunt perfidi insimulandi. Nisi in huiusmodi sceleratos insigne mortalibus documentum detur, alii aliis nequiores, in pravo proposito insistentes, id criminis semper audiunt. Caveant Consules!

I. B. FRANCESIA.

De natura artis, quae pulchra appellatur

Si « artis » etymon perquiris, hanc vocem a graeco vocabulo *ἀρτεω* = paro, struo, aequo desumere posse videris. Consonat vox graeca *τέχνη* (ars), a verbo *τείχω* (rad. *τεχ*), quod pariter struere, parare indicat. Fuit qui artis nomen ab *ἀρτεῖ*, quod vocabulum virtutem, fortitudinem sonat, deductum per syncopam maluerit; inter quos Isidorus (lib. I, c. I) et Augustinus (*De civ. Dei*, XX); quamquam graeca vox *ἀρτεῖ* ab *Ἄρεις* provenisse creditur, quod Martem notat, quia proprie virtus et fortitudo est bellica; unde etiam *mares* dicti sunt. Quin etiam voci *Ἄρεις* videtur respondere hebraicum « *ariē* », quod vocabulum leonem denotes, atque metaphorice viris sese leonum ad instar gerentibus applicatur.¹

Quidquid de etymo fuerit, ars, generatim sumpta, virtus est intellectiva, qua Agens facile et ordinate actiones liberas suas ad aliquod opus perficiendum disponit atque exercet. Omnis igitur rationis applicatio ad aliiquid factibile, ad artem pertinet. Ita rationis applicatio in actibus rationis ipsius ad facile et ordinate procedendum in acquisitione veritatis « Ars logica » dicitur. Inde etiam disciplinae ad aliquod opus ordinatae vocantur quoque artes; quum ordinatae ad nullum opus, dicuntur simpliciter disciplinae, nunc vulgo « scientiae ».

Sed proprie est ars applicatio rationis circa actiones, quae in materiam externam et sensibilem cadunt. Hinc differentia notissima inter « agere » et « facere », inter « actionem » et « factionem »; operatio enim in ipso agente permanens dicitur « agere » et « actio », ut intelligere et velle; « facere » autem et « factio » operatio est

¹ Cfr. lib. II, Sam. c. X, et Vossii, *Etymologicon*.

transiens in exteriorem, ad aliquid formandum ex ea.¹

Ars igitur stricto sumpta sensu optime a S. Thoma definitur: «Recta ratio factibilium».²

Ad puellam nuper natam

*Audis qui laeti sonitus laetaeque pererrent
Voices ad cunas, pulcra puella, tuas?
Illum quo primos vagitus ore dedisti,
Venis concelebrans turba vocata diem.
Cari fragranti decorarunt flore parentes
Cunas quae excipiunt mollia membra tua.
Non aliter viridis, dum mulcet leniter aura,
Graminis in folio roscida gutta sedet.
Cooperis ut primum roseis ridere labellis,
Gaudia quanta patris quantaque matris erunt!
Unquam quae nulli fortuna pepercit iniqua,
In te ne vertat lumina torva sua!
Haud raro nigris horrebit nubibus aether:
Tu placidis oculis attamen aspicies.
O semper valeas; velut inter sidera clarus
Lucifer o semper pulchrior eniteas!
Omni te natura decoret munere; semper
Sis tu matris amor deliciaeque patris!
Interea dulci te lumina cedere somno
Et finem cantum tempus habere meum est.
Indulgere tamen genio vitaueque vocatam
Turbam obliisci taedia longa sine.*

RAPHAËL CASTELLI.

Dicitur «ratio», quia ars est virtus intellectualis, ingenii dexteritas, medium ordinatio ad finem, quem quis vult...;

¹ S. THOMAS, *Ethic.*, lib. VI, 3.

² S. *Theol.*, 1-2, q. 57 a. 5 ad 1.

ideoque belluae, et agentia naturalia inferiora omnia, artem proprie non possident.

«Recta», quia ratio iuxta exactam normam et ordinationem ad certum effectum (opus) obtainendum procedit per media opportuna. Et est etiam moraliter «recta», quia ars per se ad bonum tendit, ita ut id quod per se ad malum ordinetur, ad artem haud pertineat.

«Factibilium», quia artis opera materiam transmutabilem exigunt; atque externo ministerio elaborantur: «factibia» igitur tamquam. «materia propria» ad artem sese habent. In hoc enim ratio artis propria consistit, quod ipsa non mera cognitio theoretica sit, sed virtus ac dexteritas operosa exteriorum formam seu mentis conceptum in materiam infundendi. Ars praeterea, ut perfecta evadat, roboratam in artifice consuetudinem, seu «habitu» requirit.

Hinc ars a S. Thoma quoque definitur: «Quidam habitus factivus cum vera ratione».¹

**

Ex principio, seu origine sua, trifariam ars dividitur: divina nempe, naturalis, humana.

«Omnis res naturales - scripsit Angelicus² - productae sunt ab arte divina;

¹ *Ethic.*, lib. VI, 3.

² S. *Theol.*, p. I, q. 91, a. 3.

unde sunt quodammodo artificata ipsius Dei». Et S. Augustinus: «Terram vides, est in arte terra; caelum vides, est in arte caelum; solem et lunam vides, sunt et ista in arte; sed foris corpora sunt».¹ Ars autem divina sequitur esse divinum, seu excedit perfectione infinita quamvis hominis artem. Itaque divinus Artifex «ex penitus non ente, de omnino nihil» producit materiam et formam; atque insuper excellentiori modo facere potest quidquid finitus artifex facit; educere nempe vel in materiam inducere novam formam, et quidem sine ullo instrumento, sed per suum intellectum suamque voluntatem.

Ars naturalis divinae artis est administrativa. «Natura nihil est aliud quam ratio cuiusdam artis, scilicet divinae, indita rebus».² Quum vero non agat natura per ideas exemplares sibi proprias, neque per libertatem, sed necessario in suis operibus arti divinae subdatur, artis nomen nec ipsa meretur.

Homo denique, principium activum, intelligens, liberum, agit circa illud, quod a natura constitutum est, et praesupposita materia, per similitudinem divini Artificis novam creat formam. Igitur «recta ratio factibilium» in arte humana proprie invenitur; de qua, si placuerit, alias peculiariter dicemus.

Neapoli.

G. LEPORE.

¹ In *Ioan. tract.* I, n. 17.

² S. THOMAS, *Physic.*, II, 14.

*Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.*

IVENALIS, XIV.

*Omnino fortis animus et magnus duabus rebus
maxime cernitur; quarum una in rerum externarum
despicientia ponitur, nullique neque homini,
neque perturbationi animi, neque fortunae succumbere.*

CICERO, *De offic.* I.

EX CASTRIS¹

Carolus Buccalidus, Iuris peritus romani catholicam apud Universitatem Lugdunensem, nunc autem miles in castris Galliae, Iosepho Fornario, *Almae Romae* moderatori, salutem.

Tanta conflagrante clade gentium, Europaeo saeviente bello, tantisque imminentibus periculis, ad patrocinia confugiendum sacra putavi, quae pignora sint et praesidia, donec luceat firmamentum pacis, et ultra.

Quae patrocinia signavi versibus (hymnis, vel saltem *prosis* aut «sequentiis», liturgicis similibus), quae sint fiduciae et spei veluti cantus.

Sequentia prima puellae dicatur quasi sanctae, alumnae Carmelitae, nuper defunctae, iamque celeberrimae per orbes Galliae catholicos: de virginе agitur *Theresa a Puero Iesu*, moniali Lysiaca. Cuius amoenitas suavisque pietas tempora decent horrenda nostra. Opponitur enim, sicut rosa spinis, sancta eius tranquillitas cruento acierum tumultui; docetque nos eius fida in divinam Providentiam devotionem impavidos permanere, ruinis etiam circumstantibus.

Secundamin scripsi sequentiam archangelo Raphaeli, qui Tobiam duxit exsulem, texitque vitam eius ac tuitus est coniugem, et senectutem parentum. Cui Tobiae nonne similis est miles hodiernus, assidue morti obnoxius, et a coniuge et cognatis dilectissimis abreptus?

Tertia et ultima data est sequentia, menti coaptior Lugdunensi. Virgini dica-

¹ ALMA ROMA et in castra pervenit, universae dilectionis suaे salutem et omnia illuc etiam feliciter adducens. Atque ex castris ei vocem reddunt socii; quorum scriptis alias iam vulgatis (Cfr. an. II, fasc. I et IV), hoc hodie laetantes et gratulantes addimus.

tur Mariae, quam Dominam Foroveterensem invocat Lugdunum, Roma nempe Galiarum. Fori scilicet veteris romani loco, nunc exstat ecclesia, Virgini dicata, in qua Lugdunensium pietas mire se prodit.

Praebeo, si velis, primum fiduciae monumentum ALMAE ROMAE tuae, immo nostrae; tuum enim spiritum formasque quas animo conceptas habes tantoque cum ardore apud alios promoves fovesque, tecum omnino partocio. Vale.

Sorori Theresiae a Pueri Iesu

*Iesu soror, Theresia,
nostris intende precibus,
quas ad te fratres, bellicos
inter tumultus, fundimus.*

*Te Iesus, data dextera,
ducebat adhuc parvulum,
subridens ille floream
tibi pandebat semitam.*

*Ah! vide quot pericula
nos undequaque milites
cingunt; adesto provida
dux nobis inter praelia!*

*Progredimur exterriti,
ut Dantes olim, medium
per Tartarum; innumera
hiscunt sepulcra gressibus.*

*Tonant vomuntque plurimam
mortem ballistae sulphure
ferroque diro gravidae,
queis tellus omnis intremet.*

*Tot, quae so, per discrimina
tu nos, Beatrix altera,
duc quo serena perpetim
Pax regnat et felicitas.*

*Tibi devotos interim
tuere; lassos refove,
affer medelam sauciis,
caelumque pande mortuis.*

COMMUNIA VITAE

De argentariorum schedulis, quae vulgo dicuntur: Biglietti di Banca.

Haud me fugit saepe numero nos sermones serere de multis, quae, hac praesertim aetate, in commerciorum commodum festinanter invexerint homines, ut quaestibus suis magis faverent, quaeque veteribus ignota planissime erant; idque illis temporibus, tum ob viarum difficultates, tum ob parvulam inter se hominum fidem, quo rarius omnino nisi praesenti pecunia facere quid fas esset et prudentia, denique ob magnam monetarum inopiam.

Haec, mea quidem sententia, erant breviter dicenda, antequam in' medias res propius accedo. Rem autem salebrosam satis aggredior, multa novis verbis praesertim quum sit agendum!

In primis obiter dicam; hoc pecuniae signo Americanos Septentrionales iam usos fuisse, quum a patrio Anglorum iugo ipsi se se in libertatem vindicarunt. Hoc enim modo, deficiente pecunia, auctore Washington illo celeberrimo, rebus suis arduis studuerunt, et mox omnibus placide instauratis, ut fortuna iis iterum favere coepit, et quum consilium, iustitiam atque invictam animi fortitudinem testarentur, amplissimis iuribus ac divitiis floruerunt, suumque nomen in primis spectandum reddiderunt. Quod ipsis rebus in adversis maxime iuvit, exterae gentes incredibili omnium persuasione, re atque consilio approbandum esse putarunt.

Et parvulae istae schedulae, quam magnum pretium secum conferunt et quantum in commerciis ineundis facilitatem comparant! Quod autem mirum, duabus potissimum rebus constant, charta scilicet et prelo.

Charta vero tum genere mutatur tum mensura, tum etiam densitate; sicque est ei maius minusve pretium; prelum autem modo pretium signat, diem adscribit, legum conditiones certamque formam ei communicat.

Quo nomine, si veteres, ut ego opinor, auro argentoque inhiabant, et quod divitias simul congererent atque in immensum condere, et in scrinia atque in arcas addere in deliciis haberent, et « hos nisi de flava loculos implere moneta » facile incusares; recentiores, quasi magnam omnem pecuniae vim abnuerent, ob singularem rerum commoditatem, has syngraphas in primis atque unice inquirere autumas. Attamen horum tenuitatem admirati, vel quem tot thesauros accumulant, quod a nimia divitiarum cupiditate animum quodam modo abripiat, severioris iudicii viri maximi aestimant. Quis non exclamat: « Quam est in rebus inane? ».

Ne autem novarum syngrapharum falsitas te decipiat, haec tibi sunt in primis tenenda. Scis enim quanta in aliorum damnum invehere solent homines, dummodo marsupium impleant. Et vera sunt semper atque ubique gentium omnibusque temporibus, quae cecinit poëta de hominum improborum nequitia:

*Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra famæ?*

Quo facto, etiam atque etiam animadvertisco. Schedulae hae argentariae, quas dicimus, habent in prima fronte tum legum conditiones, tum subscriptiones et sigilla; haec prima frons *recta* appellatur; *aversa*, e contrario, est opposita.

Harum schedularum impressio, quantum ad nos pervenit, et ipsa conjectura argui potest, vel a primis temporibus, habita equidem rerum ratione, plus minusve eleganter est signata.

Apud Sinenses, exempli gratia, quibus ars typorum mobilium, quam serius om-

nino nobis Guttembergus invexit, multo ante cognita erat, hae schedulae elegantius in vulgus edita fuerunt. Apud nos vero, qui multis post saeculis chartam in pecuniae signum adhibuimus, hae ipsae argentariorum schedulae, in morem hominum inventae sunt. Si velis eas componere quae primis temporibus fuerunt evulgatae cum recentioribus, haud ita multum inter se se differre videbis.

Attamen, hac in re, primas omnino retulit, eique est principalis progressus verique acceptus referendus, immortalis chalcographiae nuperrimo invento.

Haec enim ars non erit tantummodo ornamentum sed maximum obstaculum, quominus adulterinae huiuscmodi schedulae cudantur. Res est admodum ardua, ne impossibilem potius dicam, vel nostris ipsis temporibus, quibus turpis lucri ingluvies eademque perniciosa humani ingenii subtilitas ultima quaeque invasit. Una vero chalcographia pestilentes horum latibulorum officinas inutiles reddit, eorumque pravitatem, revelata facie, detegit.

Atque adeo, qui harum schedularum usu pollut, uno digitorum tactu, uno saltem oculorum obtutu, falsorum huiusmodi dolos deludent.

Si quis a me postulet, curnam in hisce schedulis conficiendis, charta adhibeat, responsum clarum in promptu est. Omnis enim rei securitas in una schedularum compositione posita est. Atque adeo inspice chartae mixturam, densitatem, colorumque gradationem; in filo enim, in iisdem verbis inscriptis, ceterisque huiuscmodi, optima perfectio unice dominatur.

Uno verbo, si parvis essent magna ali quando comparanda, quod Cicero de actione pro oratoribus dixit, nos profecto dicendum esse putamus de istis argentariorum schedulis; primas scilicet uni actioni referendas esse credimus.

Hic finem verbis meis imponam, atque aliis post me memoranda relinquo, cum

omine felici, ut tibi, humanissime lector, haud parvum harum pretiosissimarum schedularum volumen sors benigna permittat nunc et in perpetuum. Namque, una modo manu hisce sed schedulis referta, ditissimus dici poteris Craesus, ac propterea ad summas emergere opes, rerumque potiri!

Quod felix faustum fortunatumque tibi siet.

SUBALPINUS.

PRO IUNIORIBUS

De urbanis moribus.¹

Quem ex more alii «dominum» appellant, quique alias eo titulo salutat, iniuria a te per contemptum affici se putat, si suo illum nomine appellas. Quae quidem voces aliaeque id genus pristinam plerumque acerbatem amiserunt, atque, ut quaedem herbae in aqua, in hominum ore mollescunt iam et mitescunt; quare haud sunt respuenda, ut fit a quibusdam rusticis et rudibus hominibus.

In hisce vero caeremoniis, quae ex officio fiunt, quaedam praeepta sunt observanda, ne quis vanus vel superbus videatur.

Loci primum ratio est habenda ubi vivimus; non enim quaeque consuetudo quoque loco probatur. Ad haec, ratio est habenda temporis, aetatis, nec non nostrae aliorumque, cum quibus caeremoniae sunt adhibendae, conditionis. Ex quo fit, ut quum ad homines occupatos accedimus, caeremoniae vel omnino sunt mittendae, vel leviter attingendae, et quasi innuendae potius, quam exprimendae.

Aliquis in locis caeremoniae multum quidem negotium facessunt, multumque affrent taedium. Quare licet tenuiorum sit potentiores revereri, tamen, ubi tempus id non

patitur, officium in molestiam vertitur, ideoque vel mittendum est, vel temperandum.

Nec quae iuvenes, eadem senes caeremoniae decent; nec quibus principes viri utuntur, illae in populo aut plebe probantur.

Nec cordati praestantesque viri multas adhibent caeremonias, vel ab aliis expertuntur requiruntque, quippe quorum cogitationes haec rerum inania respunt.

Denique artifices et vulgares homines erga magnos principesque viros multis non debent uti caeremoniis; quas plerumque illi fastidiunt, quippe qui in hoc hominum genere obedientiam potius quam cultum requirunt.

Huiusmodi caeremoniis largiter est utendum; nam quod quisque ex officio facit, debiti quaedam solutio videtur, et nulla ferme gratia exhibenti habetur; ulterius progressus, de suo donare videtur. Scripsit graecus poëta, qui gratiae captandae artem novit, eum ex parva sorte maximum lucrum facere. Tu igitur caeremoniis utere eadem ratione, qua sartor in pannis secundis, scilicet ut restringi potius quam ampliari eos oporteat; non ita tamen ut pro tibialibus saccus exeat aut pallium. Quod si tu in caeremoniis largior fueris erga inferiores, humanus; si in maiores, ingenuus diceris et urbanus. Si vero profusior fueris, vanus et levis reputaberis atque etiam improbi et assentatoris notam referes; quo vitio nullum detestabilius, nec homine ingenuo indignius reperiri potest.

Meminerimus igitur caeremonias, uti iam dixi, per se non fuisse necessarias, eisque nullo negotio nos carere potuisse; verum quum, ut alii mores, tamquam morbi irrepenetes, eae nos totos invassissent et infecissent; si quid consuetudini in his adiunxerimus, id totum abundabit, et quasi extra oram officii rationisque effluet; atque mendacium, quod in hoc genere concessimus, si limites exceedat, ut illicitum ac prohibitum, ingratum sane erit et molestum animis ingenuis, qui se geris et vanitatibus minime pascunt.

Quamvis enim magnopere delectari soleant homines honore qui sibi ab aliis tribuitur,

tamen quum se putidius coli sentiunt, aegre id atque etiam indigne ferunt. Nam blanditiae et adulaciones hoc etiam habent incommodi, quod assentatores demonstrent se estimare eum, cui blandiuntur vanum et arroganter esse, ac praeterea hebetem et rudem, cui facile fucus fieri possit.

(*Ad proximum numerum.*)

I. S. P.

ANNALES

Europaeum bellum.

Qui praetergressus est Ianuarius mensis orationibus magis quam bellicis actionibus notabilis evasit. Primus namque Georgius, summus Anglicarum rerum administer, atque, paulo post, Wilsonus, Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis praeses, de probabilibus pacis conditionibus disseruere; amboque protestati sunt sese neque tendere ut ad nihil reducerent Germanicum imperium, neque Austriacum discerperent neve Turcicum, quod saltem spectat ad Turcas gentes; sed iure meritoque exigere Belgicae Balkanicarumque civitatum redintegrationem, Alsatinæ Lotaringiaeque provinciarum avitae patriæ restitutionem, Italorumque finium optatam correctionem iuxta populorum naturam. Concupere insuper, ut tandem aliquando apud Teutones spiritus ille «militarismi», quod vulgo dicitur, repellatur, a quo immanis huius belli causa repetenda est, atque periculum perpetuo imminentis venturae pacis foret.

Tertius loquutus est Gallicus exteris negotiis praefectus, qui praecipuis Wilsoni postulatis accessit; dissensit tamen ab eo circa iudicium de Russicorum «Maximalistarum» agendi ratione, in quos tru-

ces vibravit iambos, dum Americanus praeses eorum studiosus nimis apparuit.

Ex adverso, Bavariae et Saxoniae reges publice de necessitate dixerunt ne laci-niam quidem Teutonici territorii alterius imperio submittendi; Czerninus deinde, Austro-Hungarici imperii exterarum rerum minister, atque Hertlingus, Germanicus Cancellarius, Wilsono praesertim respondentes, vetera argumenta rursus exhibuerunt; veterique more usi, si ad pacem pronam voluntatem suam verbis confirmarunt, satis tamen aperte ostenderunt, sese de via quam ingens dominationis appetitus ipsis aperuit, re minime esse adhuc decessuros.

Cuius rei pressius argumentum praebuerunt in tractationibus cum Russis initis ad pacis foedus separatim ferendum. Dum enim hi aperte et fiderenter optata sua exponunt, a Teutonis obiurgantur quippe qui victorum condicionem suam oblisi sint, Teutonumque proposita tamquam iussa perferre conantur. Resistit equidem Russica legatio; quousque vero, si - (quod Teutones magis superbos et arrogantes profecto facit) - sui populi compages in dies labitur?

Interim dum Angli et Galli hostes in occidentali fronte continent, Itali a Teutonum incursione sese relaxare student, nonnulla recuperando loca praeter Plavis, fluminis oras et in Asiagi collibus, ubi Valbella montem receperunt; hostium furorem suscitantes, qui singulari hercle! virtute, ultiōnem sumunt in inermes Patavinae, Tarvisinae atque Venetiarum provinciae ipsarumque urbium incolas, quos, mortiferis glandibus caelo ex aeroplanis emissis, nefarie iterum iterumque opprimunt. Eamdem sortem et in Londinensem et Lutetiae Parisiorum civitatem moliti sunt.

Io vos, qui primos omnium cultus et humanitatis parentes vos appellatis!

Kalendas Februariis MCMXVIII.

POPLICOLA.

¹ Cfr. ann. IV, n. XII.

VACUI TEMPORIS HORA

Quadragesimale quod adventat **tempus** iam quatuor ab annis bacchanalium immodicis tripudiis contraponi non potest: quos enim transigimus dies inter belli luctus, cibi potusque temperantiam exigunt; imo tantam iure repeterent, ut perpetuam quadragesimam, eamque asperrimam, exercere ex nostra voluntate deberemus.

Quadragesimale namque tempus, ieunii atque piacularis orationis est proprium, idque ab aetate remotissima: erat enim et apud Hebreos, viguitque a Christianae religionis exordiis: imo eius cultus longe alius et gravissimus fuit, quam deinde, progressu temporis, usque ad aetatem nostram, quum sensim eius austeritas recessit, ob humani etiam corporis infirmam valetudinem.

Quum « Quadragesima » instituta est, mos invaluit semel tantum vescendi in die, idque ad vesperum; paullatim quadragesimale prandium ad horas tres post meridiem est translatum; ad meridiem deinde; atque vespere alimentum alterum, refectionis nomine, concessum.

Novis hisce moribus historica facta nonnulla referuntur, quae non ingratum aut inopportunum hinc hodie revocare putavi.

Caroli Magni diebus prandium ad vesperrum etiamtum fiebat. Imperator vero ille per quadragesimale tempus quum sacrosanctum Missae sacrificium in suis aedibus hora post meridiem secunda celebrari iussisset, mensae post ipsum assidere coepit, ne eius aulici inani ventre diutius durarent. Imperatoriae enim mensae, ut inter omnes constat, reges ducesque clientes (*vassallos* nuncupabant) inserriebant; qua absoluta, hi succedebant, comitibus ministrantibus; quibus vicissim aulici minoris dignitatis ancillabantur, atque sic deinceps; ita ut nisi Imperator mensae suaे horam anticipasset, qui infimi ordinis essent, ad medium noctem, atque fortasse antelucanis

horis, hoc est in sequenti die, edendo dedissent operam.

Caroli Magni exemplum alii imitati sunt, licet non eadem causa intercederet; ita paulatim quadragesimalis mensa a solis occasu ad medium cursum translata vulgo fuit.

Ientaculum postea inductum est, quod *lectionem* vocarunt (Italice nunc *colezione*); cuius nominis etymon tantum cum pastu componitur quantum cum libris cibus. Scilicet quum monachi post coenam convenire solebant ad Sanctorum Patrum lectionem simul peragendam, idque *collectio* diceretur, quumque per quadragesimale tempus ad vesperum non amplius ii pranderent, post lectionem illam concessum est ut sese resumptivo aliquo iusculo reficerent; indeque — a loco scilicet atque tempore, quibus monachi silatum illud sumerent — in vulgus manavit vox.

Sed, ut ad « Quadragesimam » redeamus, notandum est, ipsam plures esse passam novationes, priusquam ad quadraginta ieunii subsequentes dies adduceretur. Olim diutina valde fuit; quum enim ter in hebdomade Christifideles ieunarent, hebdomadis duodecim opus erat ad explendos ieunii dies triginta sex, quibus quadragesimale tempus constabat.

Saeculo p. C. IX ex dominico die initium capiebat Quadragesima; quumque tum dies quattuor additi fuerint ad quadragesimum numerum explendum, quadragesimali tempori exordium datum est quattuor diebus ante; idque per Occidentalem omnem Ecclesiam, praeter Mediolanensem, quae veterem usum non immutavit, retinetque adhuc.

Ecclesiastica disciplina Quadragesimae, se veritatem circa alimentorum copiam et qualitatem, quemadmodum superius attigimus, aliquantis per remisit. Antiquiori enim aetate abstinentia erat carnibus, ovis, lacte, lacticiniis et vino; idque usque ad saeculum XIII; quamquam iam a saeculo IX vini et ovorum usui hic illic indulsum fuerat; dum Toletanum concilium octavum an. DCLIII illis praecepere videmus, qui carnibus vesci ausi fuerint quadragesimali tempore, ut ab iis per integrum

annum abstinerent et a Paschali sacra synaxi; illos autem quibus carnes edere necesse esset ob gravem aetatem vel malam valetudinem, ut sese episcopali venia munirent.

Ineunte saeculo XVI, Ecclesiae visum est iussae abstinentiae satisfieri posse carnis privatione per quadragesimale tempus omne, duplice quotidiano pastu, quorum altero, sub vesperi, levissimo. Sequutae sunt derogationes hinc ab Episcopis gregi suo concessae, inde a Summis Pontificibus Christifidelibus universis, quos tamen semper hortati sunt, ut mitigato abstinentiae rigori fervor bonorum operum sufficeret. Ab initio autem cum quadragesimali ieunio coniuncta est commendatio continentiae, utque fideles a ludis, oblectationibus, et etiam a processibus temperarent.

Leges denique, quae de abstinentia et ieunio nunc vigent in novo Codice Iuris Canonici Pii X P. M. iussu digesto atque Benedicti Papae XV auctoritate promulgato enucleantur; quas referentes muneri nostro satisfecisse hodie videamus, temporis adiunctis et re et stylo accomodatis.

* * *

Sunt igitur **Canones de abstinentia et ieunio** (lib. III, tit. XIV, 1250-1254) prout sequitur:

— Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipite animalium.

— Lex ieunii praescribit ut non nisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine. Nec vetitum est carnes et pisces in eadem refectione permiscere; nec serotina refectione cum prandio commutare.

— Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis. Lex abstinentiae simul et ieunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes,

Deiparae in caelum assumptae, Omnia Sanctorum et Nativitatis Domini. Lex solius ieunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus. Diebus dominicis vel festis de pracepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieunii, vel ieunii tantum cessat, excepto tempore Quadragesimae, nec pervigiliae anticipantur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem.

— His canonibus nihil immutatur de iudicis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutis ac regulis cuiusvis religionis vel institutionis approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis.

— Abstinentiae tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint. Lege ieunii adstringuntur omnes ab expleto vigesimo primo aetatis anno ad incoepum sexagesimum.

Locosa.

Tuccius magnum quidem animum gerit. Quum quadam die cum condiscipulo decressisset resque durius ei cessisset, coram magistro offendorem punire satagente, Tuccius reum defendere studet. Tum magister:

— Quid? Si et aurem tibi momordit!

— Non ille; ipse aurem mihi momordi!

Aenigmata

I

Thessaliae sum mons Musis sacratus. Omitte Litterulam; nemoris sum decus usque vi [rens.]

II

Urbes, rura, pagos habitat, sub lege tenetur. Procerum et glaucum flumina lambit a [mans.]

(Aenigmata in superiori numero propria tis his respondent: 1] Annus; 2] Currus).

IOSFOR.

AD "CARCEREM,,

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

PARS I. - SCENA I.

AMBROSIUS.

Potest quid peius, spectatores optimi,
Et istoc saeculo mihi contingere?
Enim fui brevi miles intrepidus,
Pugnavi pugnas fortiter qui patrias;
Et Caroli Alberti merui stipendia,
Et aureum tuli numisma decoris!
At, at, sub feri terminum certaminis,
Mei dum clamant socii victoriam,
Et ipse laetus a feriendis hostibus,
Frendens et dentibus revocor ad ordines,
Ab hoste infausto, daemonem quem dixerim,
Vepres dumorum inter altos abscondito,
Saucior ehu! misere, bis adverso vulnere.
Vix inter nostros ut reducor milites,
Diebus post paucis integer reficior,
Privatus uno sed sinistro brachio.
Miser, qui patriae allaboro denuo?
Hisce sum pueris praelatus discolis,
Ut ipsos doceam virtutem gerere.
Nihil sed peius, nil damnosius poterat,
Ingratiusque veterano strenuo!
Sic uni servio servitutem patriae.
Meis ut improbus panis est dentibus!
Sed, sed... quid possim medius nunc homuncu-

[lus?

Ut autem pravis fastidiosi moribus....
Bonam cum vitam nollent ipsi vivere
Domi paterna sub tutela seduli,
Illi de raptu vivant, illi in otio....
Linguis rixantur, pugnis, miscent iurgia,
Litigiosi, rabidi, molossici....
Duint ut ipsis rectam vivendi regulam,
Suamque ponant belluinanm indolem,
Adsunt qui nervis ferulisque corrigunt,
Sicut leones adsolent compescere.
Quid si viderent matres tenerimae,
Suos quae filios prosequuntur molliter?
Modo sed ipsos quo deberent attamen,
Rudes, indociles cum sint et asperi?

Una domantur, ut leones, ferula.

At... at... tam mane quis ad fores proximat?
Est ille ferreus virgarum praepotens,
Suam qui virgis voluntatem sustinet.
Ut omnes ipsi servitutem serviunt!
Boni nil hercle ipse mihi nunc praesagit.
Meo tempestas ingruit quae capiti!

SCENA II.

EUSEBIUS et AMBROSIUS.

EUS. Heus tu! Ambrosi!

AMBR. Quid iubes?

EUS. Audis?

AMBR. Audio.

Tuus sum! Dic, iube; quid vis, impera.

EUS. Ne verba multa sint, audis? Haud per-
[velim.

AMBR. Tuus....

EUS. Tace, sis!

AMBR. Taceo.

EUS. Scias, propediem

Erunt exercitia....

AMBR. Dic, quaeso, repeate.

EUS. Ita! Exercitia! Quae rerum novitas?

AMBR. Fiunt quotidie nempe exercitia,
Quibus nervos et artus exercent cor-
[poris....

Quid ergo mirum?

EUS. Miror quod mirearis, vetule!

Imo venit pius magister inclytus,
Sacerdos nempe multis et virtutibus,
Hic qui Taurini celebratur maxime.

AMBR. Hic nominatur? Dicitur quo nomine?
Docebit arma, dicis, Sacerdos?

EUS. Utique!

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.